

1776, 10.
D 48
DISSERTATIO IURIS CIVILIS

DE
MATRIMONIO

CVM
SECVNDA CONIVGE CONTRACTO
PRIORE NON REPVDIATA

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
CHRISTIANO HENRICO BREVNING

I. V. D. PROF. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT. ET SOCIETAT.
LITERAR. DVISBURG. SOCIO.

IN AUDITORIO IURIDICO

A. D. VII. AVGUST. A. R. S. CICLOCCCLXXVI.

DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES GABRIEL BERNARDVS BVSCHEL

LIPSIENSIS

LIPSIAE

EX OFFICINA BVSCHELIA.

DISSEGETATIO IHERI-CIVITATIS
DE
MATERIALIA
CIVILIA
ECCLESIA CONACRO CONTRACTO
MURAE NON REFLACTA
ILLUSTRIA ICHTEVANIA ORDINIS S. VITIA
PRAECEPS
CHRISTIANO HENICO BREVNING
EVA PRAECEPS ET CECILIA AVGVSTINA ET GENEV^ATA
TIBURIO DABERIO 1590.
IN AHDOLPHO HERDIEC
DATUM
VACANTIA REPARANDAS
IN NIES CHIRKI DE WIKDZEN CHIRKI
LPP 1748
EX LIBRIS BIBLIOTECÆ S. VITIA

PERILLVSTRI
ATQVE
GENEROSSISSIMO DOMINO
DOMINO
IOANNI ERNESTO
DE TEVBERN

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE A CONSILIIS
AVLAE ATQVE IVSTITIAE ET CONSILII INTIMI
REFERENDARIO

DOMINO INDVLGENTISSIMO



PERILLATRI
1643
CENSUS COMITATUM
BEMKO
OTTO HENRICH
DE TETTEN
GALLIAE ET ITALIAE
FRANCIAE ET BELGIÆ
VAN
CIVITATIBUS
DOMINE IUSTA CLEMENTIA

PERILLVSTRIS
ATQVE
GENEROSISSIME DOMINE
DOMINE INDVLGENTISSIONE

*N*ec vt laudes TVAS, quibus eniteſcis,
quasque digne enarrare haud ſuftri-
neo, canam, nec vt libellum hunc PERILLVSTRIS
TVI NOMINIS inscriptione, aliorum more ad-
ornarem;

ornarem; iusta mihi visa est causa, cur tenuem
hunc academicum libellum TIBI consecrare volue-
rin. Sed pro imprudentia duxerim, si hanc eam-
que primam occasionem publico et perpetuo monu-
mento, meam erga TE VIR PERILLVSTRIS
debitam pietatem, submissionemque meam demon-
strandi, simulque gratae mentis officium, quantum
licet, adimplendi, amplexari intermitterem. Tan-
tus est TVARVM virtutum fulgor, et tanta me-
riorum TVORVM eminentia, praesertim in ex-
celso illo dignitatum TVARVM fastigio, et ne-
gotio-

gotiorum, ad quae adhiberis, prolixitate, ut mirum
prefecto non sit, omnes TE profunda veneratione ex-
osculari. Permitte ergo, VIR PERILLVSTRIS,
ut tantae gloriae TVAE exiguum hocce pignus
sancti mei obsequii supplex tradam. Accipe illud,
ea, qua soles, benevolentia; exultassem, si TVA
protectione non indignum iudicare, me meaque stu-
dia TIBI commendatissima habere, et qua me gra-
tiosa prosequi indulgentia coepisti, eadem porro me
prosequi velles. Sic TE Deus seruet, TE ornet,
et ad Nestoreos usque annos omni felicitate cumu-

let

let atque beet. Ita faxit sumnum Numen, ita
vouet, ita orat

PERILLVSTRIS
ATQVE
GENEROSISSIMI
NOMINIS TVI

Lipnæ d. III. August.
cœlœcccœlxxvi.

eliens submississimus
IOANNES GABRIEL BERNARDVS BÜSCHEL.



DE
MATRIMONIO
CVM SECUNDA CONIVGE CONTRACTO
PRIORE NON REPUDIATA.



§. L.

Si quae vñquam inter doctos homines agitata est
quaestio, quae ex maxima parte, si ad applica-
tionem respicias, inanis et parum accurate
concepta, fuit ea de Polygynia ex principiis iuris naturalis diiu-
dicata. Cum enim inter conuentiones illa viri mulierisque
coniunctio referenda, conuentiones vero a partium consensu pen-

A 2

dent

dent, neque homines aliter finem creatoris in diuerso sexu efformato adimplere possunt, ni brutorum more agant turbata alterius sexus pace, quam si de eo fine inter se paciscantur; absque dubio ad pacti verba semper erit respiciendum. Sane nec praecipit natura monogamiam, neque eandem prohibet, quod ex animantibus patet, quae communem habent cum hominibus tanquam animalibus naturam, in quo veteres Ius naturae quaerabant. Homo vero ens praeterquam morale acturus secundum naturam, ne turbet aliorum hominum externam pacem atque perfecta iura, pactis impedit interpositis, quominus actio, ad quam eum natura animalis ducit, iniusta fiat. Quia propter si ad ea respicimus, quae inter homines facta gestae sunt, antiquitas arbitrio hominum vel polygyniam, vel monogamiam reliquit. Hinc gentes variae continuo quasi vsu monogamiam tantum probarunt, vbi aliis gentibus polygynia permissa. Neque aliud sanctis gentis Iudaicae autoribus visum fuit. *Iсаaco* *Rebecca* vxor erat, *Iacobо* contra Polygynia placuit. Populares nostri, qui matrimonia rem maxime seriam habuere teste *TACITO de Mor. Germ. XVIII.* ad quem tamen locum videndus *DITHMARVS Not. 3.* nunquam videntur plures cum uno marito compobasse feminarum coniunctiones, imo potius priori coniugio soluto adeo secunda vota parum probarunt. Neque aliter visum fuit Romanis, quippe quibus una vxor unius marito sufficere visa fuit. Nec aliud suadebat prolis quaerendae studium, quod, ut coniecerunt *SCHVBARTH de Fat. Iurisprud. I. 14* et *BACHIVS* in *Hist. Iur. L. I. C. I. §. 2. n. e.* Romulus in sua republica commendauit, quam puberibus matrimonia necessaria esse iuberet.

beret. Nunquam antiquitus polyginiam Romani approbarunt,
et quamvis nulla extet lex, quae directo vni viro prohibeat,
quominus plures vxores habeat, tamen de vna tantum confar-
reatione jungenda vxore lex disponens eandem prohibuisse vi-
detur. Confirmat me in hac opinione lepidissima illa de Pa-
pyrio Praetextato historia, quam ex M. Catone refert A. GELLIVS
in Noct. Attic. L. I. Cap. XXIII. quam tamen fabulam pronun-
ciat POLYBIUS Lib. III. 20. „Mos enim antea Senatoribus Ro-
„mae fuerat, in curiam cum praetextatis filiis introire. Cum
„in Senatu res maior quaepiam consultata, eaque in diem po-
„sterum prolata; placuerat, ut hanc rem, super qua tractauissent,
„ne quis enunciareret, priusquam decreta esset. Mater Papyrii
„pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percunctatur fili-
„um, quidnam in Senatu patres egissent; puer responderat,
„tacendum esse; neque id dici licere. Mulier audiendi cupidior
„facta. Secretum rei et silentium deberi puer adfirmans; com-
„pressius atque violentius mater quaerebat, tum puer, matre
„vrgente, lepidi atque festiui mendacii consilium capit. Actum
„in Senatu dixit, vtrum videretur utilius magisque e republica
„esse; VNVSNE VT DVAS VXORES HABERET, AN UT VNA
„APVD DVOS NVPTA ESSET. Mater hoc sermone perterrita ad
„caeteras matronas, quae audiueraat, defert. Quare postera die
„matrum familias caterua venit ad senatum, lacrymantes orant,
„vna potius ut duobus nupta fieret., Sane coniuci potest; mo-
nogamiam tantum Romanos probasse. Et quamvis Heluius Cin-
na Tribunus plebis Caesaris iussu teste SVETONIO in Vit. Caesar.
Cap. LII. Polygamiam introducere voluerit et VALENTINIA-

NVS iunior legem dederit de duabus vxoribus licite ducendis teste SOCRATE in *Hist. Eccles. Lib. IIII.* et NICEPHORO in *Hist. Eccles. Lib. II. C. 53.* sed his conatibus Polygamiae probandae et introducendae nunquam respondit euentus.

§. II.

Quanquam vero viro vnam habere coniugem sicut, tamen nihil prohibuit, quominus priori coniugio soluto, nouum coniugii vinculum contrahere posset. Non quidem omnino videntur secundum coniugium semper probasse Romani, quod ex iis iuribus apparet, quae odium secundarum nuptiarum constituerunt, neque tamen penitus improbarunt secunda vota. Polygynia itaque succedanea licita, cum simultanea permissa haud esset. Neque haec sola Romanorum fuit philosophia, sed et aliis eadem visitata. Sic populares nostri non omnino polygyniam succedaneam prohibebant, qui tamen parum laudabilem imo haud raro odiosam habebant.

§. III

Non est, ut plura dicam de antiquissimis Romanae gentis ritibus, quibus illud vinculum contractum connubii, quippe non sola conuentione contenta. Dixere de his satis et BRISONIVS de *ritu nuptiar.* et *iure connubior.* HOTMANNVS de *veteri ritu nuptiar.* et GRVPEN de *uxore romana.* Satis est, quaedam de his obseruasse. Antiquissimum connubium contrahendi ritus fuit *confarreatio.* Constat solenni sacrificio in quo far vel panis farreus,

farreus adhibitus, praesentibus testibus decem, verbis solennibus,
 coniuges iungebantur vxorque in mariti manum seu potesta-
 tem, sacra et familiam conueniebat, seu ut exprimit DIONYSI-
 VS *Halicarnass. Antiqu.* II. p. 95. κονιωνὸν ἀπάντων εἴναι χρημάτων
 τε καὶ ιερῶν. Ex his interpretandum est MODESTINI in *L. I. π.*
 de Rit. Nupt. fragmentum, quo in nuptiis adfirmat fieri diuini et
 humani iuris communicationem. Autorem huius ritus Romulum
 faciunt plerumque, dissentiente RAEVARDO ad *LL. XII. Tab.*
XXI. p. 95. qui vsum farris in sacrificiis a Numa inuentum sta-
 tuit. Sed qui Romulo tribuunt et autoritatem DIONYSII *Halí-*
carnass. c. l. et VLPIANI Fragm. T. IX et XXII. 14. adducunt, et ne
 Numa inuentor habeatur vsum farris in sacris contra adseratum
Plinii, HEINECCIVS in Antiquit. Rom. I. X. II. not. a. SERVIVM
ad VIRGIL. Aeneid. X. v. 541. excitat, qui ex verbi *immolatos*
 proprio et sacro vsu farris vsum ante Numam Latinis cognitum
 fuisse probare intendit. Sed si hoc argumentum rectum, mal-
 lem adscrere, non inuenisse Romulum confarreationem, sed ex
 Albanis moribus in nouam suam coloniam recepisse atque
 comprobasse. Est enim, et fuit semper coloniarum mos, vt,
 quibus adsueti iuribus atque consuetudinibus patriis auitisque
 in coloniam deducti, plerumque seruarent. Cur non idem
 Romanis olim Albanis, antequam Romam ducerentur, non
 idem placuerit. Poterat ergo Romulus in sua colonia deducta
 autor dici, quamvis antea Latinis Albæque Longæ ciuibus haud
 incognitus fuerat ritus,

§. III.

§. III.

Alter ritus, per quem connubium contrahebatur, modus cōemtionis fuit. Dixit de eo GVNDLING in Diss. de cōemtione vxorum, dote et Morgengabe. Putat HEINECCIVS in *Antiquit. Rom. t. l. §. X.* cōemtionis ritum accessorium antiquitus fuisse confarreationis, post Romanos retinuisse cōemtionem, neglecta confarreatione, ut peculiaris ritus exinde factus sit contrahendi connubii. Hanc suam opinionem ex CICERONE pro Flacco XXXIII. ita probat, quod mentionem faciat cōemtionis et usus, nihil vero dicat de confarreatione, et hinc coniicit, Ciceronem haud fuisse omissurum confarreationem, si a cōemtione fuisset diversa. Valde dubito, vtrum recte argumentum ductum sit. Sit cōemtio accessorius confarreationis ritus, sed quae causa, cur sub accessorio principalem intelligat Cicero, ego quidem non per video. Forsan ipse Cicero, eos tantum adduxit ritus, qui sua aetate maxime visitati erant. Neque NONIUS de propriet. Serm. XII. 50. quem excitat Heineccius de cōemtionis ritu agit, qui proprius fuerat contrahendi connubii; probabilius de ritu, quo vxor sibi familiae sacrorumque iura post confarreationem acquisiuit sive accessorius, hinc diuersus ab eo, cuius in Marmore apud Heineccium mentio fit. Cōemerat enim sponsus Publ. Claudius Antoninam Volumniam a parentibus, vt ergo ipsa cōemtione filia familias fieret, qui titus cōemtionis haud videtur diuersus ab eo, qui in adoptione adhibebatur, scilicet mancipatione per aes et libram, vnde quae cōemta prius remancipando e connubio dimittebatur. Quo vero tempore Romanis ritus cōemtionis innotuerit, haud liquet, quippe

pe in Fragmentis LL. XII. TAB. quarta Tabula, quae de connubio scripta erant, nulla extant. Sane mirandum Iacob. GOTHOFREDVM ad LL. XII. Tab. omisisse legem de confarreatione. Siue enim eum ritum Romulus, ab Albanis in suam coloniam deduxerit, quod probabile, siue ipse inuenerit, siue alias Romanorum Rex, videlicet Numa introduxerit, liquido constat, post LL. Xvirales connubia confarreatione fuisse contracta. Iam vtor argumento BACHII in Hist. Iur. p. 23. statuentis, nullum regium ius Romanos obligasse, nisi LL. Xviribus insertum et quasi innouatum. Necesse itaque est, fuerit omnino ritus confarreandi legibus XII. Tabularum confirmatus. Quare RAEVARDVS ad LL. XII. Tab. Cap. XXI. BALDVINVS ad LL. XII. Tab. Cap. XXXVI. Mart. SCHIKHARDVS de LL. XII. Tab. VI. hanc legem de confarreatione restituerunt, quamvis legitima verba decemuirorum non extent. An vero et de ritu cōemtionis lex decemuiralis extiterit, quod ex Forstero probat SCHIKHARDVS cit. loc. vehementer dubito, cum iusta haud extet probatio, nisi forsitan putemus, interpretatione legis I. Tab. VI. QVVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQUE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IUS ESTO hunc ritum receptum et hoc sensu plane impro- prio decemuiris tribuendum. Sed mitto haec.

§. V.

Venio ad Vfsum cuius in Lege Decemuirali extat sanctio: Tab. VI. Cap. IIII. Verba sunt: MVLIERIS, QVAE ANNVM MATRIMONII ERGO APVD VIRVM REMANSIT, NI TRINOCTIVM AB EO VSURPANDI ERGO ABESCIT, VSVS ESTO. Quae causa hu-

B

ius

ius introducti iuris, quod suas suoque dominio quiritario subiectas fecerint vxores vsucapiendo, non adeo liquet. Liceat quaedam in hanc rem coniicere. Constat, Romulum ex Aui suisu connubia petiisse a finitimis gentibus, forsan ex prudenti consilio, quo iis coniunctionibus amicas eas suae genti efficeret. At vbi repulsam tulerant Romani, neque gentes finitimae cesserant, vt promiscua iis cum Romanis essent connubia, Romulus, quae consensu atque bona voluntate haud obtinere poterat, obtinuit astutia, dolo et vi. Nam seminarum raptus id egregie probat. At accessit quasi bellica occupatio, orta cum gentibus virginum raptarum bello, quo victores Romani raptas reuinuerunt. Venit inde, vt omnino viderentur dominio subiecti feminas posse. Hinc non tantum mancipatione seu coemtione, verum etiam vsucacione acquiri posse videbantur. Neque memini, me legere, raptas illas post confarreatione iunctas fuisse. Forsitan itaque huius ritus connubialis origo ab his ipsis Romuli temporibus deduci potest, quem postea Decemviri legitimum fecere suis legibus. Confirmat me in hac conjectura, quod in domum ductione, quae et instrumentis dotalibus compositis, tempus inchoandae vsucacionis constituebat, raptus simulatus adhibebatur in memoriam illius raptus Sabinarum aliasque virginum, quod docuit GRVPEN *de Vxore Romana.*

§. VI.

Sicuti vero suos contrahendorum connubiorum ritus habebant Romani, ita et soluendorum ritus haud deficiebant. Comprobauerat Romulus iam diuortia, ita tamen, vt marito soluendi

solvendi matrimonium ius concederet, vxori negaret, quod mi-
rum videtur PLVTARCHO in *Vit. Rom. p. 31.* At, si consideres,
vxorem venire in manum mariti eiusque dominio subiici, fieri
haud poterat, vt Romulus vxori concederet liberam potestatem
se dominio ac potestati mariti subtrahendi: Neque vero Romu-
lus pro arbitrio potestatem vxorem dimittendi concessit, sed si
PLVTARCHO c. l fides habenda, permisit tantum dimittere ve-
nificio sublatis liberis, subdito partu vel adulterio admisso. De-
cemuiri videntur hanc legem Romuli in XII. Tab. transtulisse
Tab. VI. & VII. si VIR MVLIERI REPVDIVM MITTERE VOLET
CAVSAM DICITO HARVMCE VNAM — — — Quas vero De-
cemuiri causas statuerunt iustas, non aequa liquet. Mihi dubi-
um non videtur, easdem causas a Romulo positas, eosdem con-
firmasse. Non tamen decernam, quod nullas alias admiserint.
Coniicio ex diuortio *Sp. Caruillii Rugae*, qui ob sterilitatem Vxo-
rem dimisit, atque apud Censores iuravit, se vxorem liberorum
quaerendorum causa habere. Refert quidem *VALERIVS Maxi-
mus Memorab. L. II. Cap. 1.* Caruillum non caruisse reprehen-
sione, quod cupiditatem liberorum coniugali fidei praeposuerit.
Sed ex eo non adfirmem, sterilitatem non fuisse iustum repudii
causam, quippe prolis quaerendae studium semper Romanis pro-
batum. Causa reprehensionis forsitan fuit, quod primus fuerat,
qui ab vrbe condita, quod continebat quinque seculorum spa-
tium et vltra, diuortium celebrabat, quod, quamvis leges a Ro-
muli aetate permitterent, tamen ante Caruillum factum non
erat. At post Caruillii tempora, et maxime ad interitum pro-
perante Republica libera non adeo videntur Romani solliciti fu-

isse de causis repudiorum, vt patet ex iis quae collegit HEINEC-
CIVS in *Antiqu. Rom. Adpend. L. I. §. XXXV.* quod tamen
magis facti fuisse videtur, quam quod iura comprobassent. Quare et sub Imperatoribus sanctissimae Christi doctrinae addictis
repudiorum cause denuo definitae.

§. VII.

Diximus, Romanos suos soluendorum matrimoniorum
habuisse ritus. Recte recensent diffarreationem, remancipatio-
nem, repudium. Quid! si addamus usurpationem. Est qui-
dem verum, usurpationem maxime impediuisse, quominus per-
ficiatur connubium usurpatione, vt propterea vxor in manum
non conueniret; sed, cum ob dotalia instrumenta, domumque
ductionem in matrimonio femina esset, quamvis nondum per-
fectum sit connubium, atque pro vxore haberetur, neque esset
necessarium, si per trinoctium a marito abesset, vt ad eum redi-
ret, hinc recte usurpatio suo modo referri potest inter modos
dissoluendi matrimonii. Inde forsitan venit, vt et coniuges
cooperint a viris diuertere. Quod vero ad reliquos rumpendi
matrimonii modos attinet, diffarreatione tantum, quod confarre-
atione contractum erat matrimonium, dissoluebatur. Quare eti-
am aliud et confarreationi quodammodo contrarium sacrificii
genus in diffarreatione adhibebatur. Cognitione contractum
connubium remancipatione soluebatur, de qua apud FESTVM
in v. remancipatam legitur descriptio. Coniicio tandem, sicuti a
parte feminae usurpatione impeditiebatur matrimonii continua-
tio, ita repudium, quod siebat contractis tabulis dotalibus et
adem-

ademitis clauibus, quae domum ductae nouae nuptiae tradebantur in signum possessionis captae domus mariti et illius bonorum dato praeterea vel libello, vel vbi libertus acclamabat: *collye sarcinulas et exi in matrimonio vnu contracto maxime adhibitum fuisse.* Non addo reliqua, quae luculenter ab aliis iam exposita.

§. VIII.

Quae cum omnia recte perpendo, facilis mihi videtur illa causae definitio, quam CICERO de Orat. L. I. Cap. 40. refert, quamque decidendam nobis sumsimus. Scribit: *Quid? de libertate, quo iudicium grauius esse nullum potest nonne ex iure ciuilis potest esse contentio, cum quaeritur is, qui domini voluntate census sit, continuo-ne, an vbi lustrum conditum, liber sit?* *Quid, quod usque memoria pa-trum, venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romane venisset, cum uxorem praequantem in prouincia reliquisset, Romaeque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset, mortuusque esset intestato, et ex utraque filius natus esset; mediocrisne res in controuersiam adducta est?* *Cum quaereretur de duobus ciuium capitibus, et de puero, qui ex posteriore natus erat, et de eius matre; quae, si iudicaretur, certis quibusdam verbis, non nouis nuptiis, fieri cum superiori diuortium, in concubinae locum duceretur.* Quis non vider, maxime propositam esse hic quaestionem iuris ciuilis olim agitatam coram iudicio centumuirali, videlicet, an, qui priori coniugi haud repudium miserat, et aliam duxerat, legitimum celebraret matrimonium. Recte ergo monendus BACHIVS in Hist. Jur. p. 231. qui hanc literam numerat inter dissensiones veterum iureconsultorum. Milii enim, qui quidem dissensus haud nego, accurate iudicatum non videtur,

B 3

quod

quod omnis causa, quae coram iudicio tractatur, pendeat a dif-
fensione ICtorum. Poterat enim Orator coram Centumuiris
tractare causam adductis argumentis probabilibus, quo suo Cli-
enti putabat satisfieri posse, qui cum expressa lex contraria haud
adesset, sibi omnino ius esse, finixerat; At propterea non erat
necessere, ut dissensus inter Iurisperitos agitaretur. Sed haec obi-
ter. Iam ad ipsam causam centumviralem.

§. VIII.

Non est, vt de hoc iudicio quid moneam, iam de eo satis
scripsit Sibr. Detard. SICCAMA de *Iudicio Centumuiral*. Quae ve-
ro causae coram hoc iudicio tractata sunt, adeo liquidum non
est. Optimus, quem in hanc rem adlegend, est CICERO de *Orat.*
L. I. Cap. XXXVIII. Ait: *Nam volitare in foro, haerere in iu-
re, ac praetorum tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerum obire,
in quibus saepe non de facto, sed de aequitate-ac iure certatur, iactare
se in causis centumuiralibus, in quibus usucaptionum, tutelarum, genti-
litatum, agnationum, allusionum, circumiuisionum, nexorum, manci-
piorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum,
aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur, cum
omnino quid suum, quid alienum, quare denique ciuis, an peregrinus,
seruus, an liber quisquam sit, ignoret, insignis est impudentiae.* Sed
an indistincte de his causis semper apud centumuiros causa per-
acta sit, an vero quoties dubium ius interueniret, nec de facto
tantum litigaretur, nondum decerno. Hoc certum est, pleras-
que causas ius dubium comprehendere, quas scimus fuisse cen-
tumuirales. Exemplo sit iudicium, quod de hereditate demor-
tui

tui patris habebatur, qui, cum de morte filii falsum nuntium acceperat, mutato testamento heredem alium scriperat. Quaerebatur enim hoc iudicio, an posterius testamentum ex errore factum, prius, in quo absque dubio filius heres scriptus, rumperet. Eiusdem generis est quaestio, quem ex Cicerone c. l. simul adiecimus, videlicet, an a tempore, quo census erat seruus domino consentiente, an vero a tempore lustri manumissus es- set aestimandus. Idem sentiendum de celebratissimo iudicio Curiano, in quo dubitabatur an pupillaris substitutio valeret, licet posthumus cui pupillariter substitutum, natus non sit. Et sic in aliis, ut ergo plura exempla non adducam. Nullae au- tem causae grauiores esse poterant, quam in quibus de iure di- sceptabatur. Et sane poterant, quae coram hoc iudicio decisā, recte dici disputatione fori decisā esse. Recte ergo ius per di- sputationes fori introductum haud videtur diuersum ab eo iure, quod ex receptis sententiis deducebatur.

§. X.

Iam veniamus ad ipsam causam nostram. Duxerat ciuis vxorem in prouincia Hispania, hanc in prouincia greuidam re- liquit et Romam redux priore coniuge non repudiata, aliam du- xit vxorem. Videndum, an posterius coniugium legitimū sit. Ex ea quaestione aliae deducendae, videlicet, an posterior legi- tima vxor: an, qui a posteriori coniuge natus, legitimus filius sit, et quae successio ab intestato statuenda, cum parens absque testamento deceſſisset. Rem ita tractabimus, ut quae posteriori matrimonio secundaeque coniugi eſſent proficia prius expo- namus,

namus, post ea, quae in iure contraria sint, proponamus, et tandem causam ipsam definiamus.

§. XI.

Non omnino aduersatur iuris analogiae, ut actus prior, nouo superueniente tollatur. Sic noua testatio prius testamentum tollit et infirmat. Erat praeceptum, hominis voluntatem liberam et ambulatoriam esse debere ad extremum vitae punctum. Quod si itaque testator nouum conderet testamentum, priorem immutabat suam voluntatem, quae ambulatoria esse debebat, hoc est, immutare animi iudicium libere poterat, non ergo opus erat, ut prius, quam nouum conderet testamentum, reuocaret verbis solennibus prius conditum, sed ipso facto rumpebatur, simulac noua testatio facta. Quid itaque obstat, quominus dicamus, prius coniugium per posterius esse sublatum. Cum enim Lex tantum vnam habere coniugem permittat, neque diuertia improbet, facile posset concludi, celebratis secundis nuptiis indicare voluisse maritum, nolle se amplius cum priore viuere coniuge, sed quasi repudiare eandem alia superinducta. Neque enim, si a solennibus repudiorum abstinemus, in iis aliud substantiale deprehenditur, quam voluntatis immutatio, quae ex posterioribus nuptiis celebratis recte coniici potest.

§. XII.

Sed sane hanc dubitandi rationem nunquam probem. Quamuis enim concedam, testamentum per posterius infirmari; tamen

tamen hoc ad connubia deducere, valde a rationibus iuris abhorre videtur. Causa enim, quae hoc ius in testamentis posuit, haec esse videtur. Primis enim temporibus testamenta condit solebant in populi comitiis lege super patrimonium priuati ciuii lata, quare et Decemuirii in sua lege vni sunt vocabulo LEGASSIT, id est, legem tulerit. Ipsi vero Decemuirii, quod et naturae legum in ciuitate latarum conueniebat maxime, sanxerant: QVOD POSTREMVM POPVLVS IVSSIT, ID RATVM ESTO, seu quod postea dictum est: lex posterior derogat priori. Mirum itaque non videbatur, testamentum prius tanquam legem priorem posse tolli eique derogari noua lege lata, seu testamento posteriori. Neque deest causa, cur ambulatoria sit hominis voluntas circa ea quae in testamento disposita. Fert enim paterfamilias de bonis suis atque patrimonio legem, quae non statim vim obtinet, a quo lex lata est, sed ab eo demum tempore, quo testator mortuus atque ultima eius voluntas ab heredibus voluntariis vel cretione, vel aditione, vel etiam pro herede gestione agnita, aut heredes sui a Praetore abstinendi beneficium non obtinuerunt. Quousque ergo vivit testator atque lata eius lex nondum obligat, recte habebit voluntatem liberam eamque ambulatoriam. Neque metuendum est, quenquam testamento mutato priori in acquisito iure perfecto laedi; nemo enim ante testatoris obitum quidquam ex testamento iuris habet, sed saltem spem, quae demum in ius perfectum abit, si testator moriatur testamento non infirmato. At! quid haec priuata nomothesia ad conuentionem connubialem? Nulla hic legislatio, nulla spes, sed perfecta iura, perfectaeque obli-

C gatio-

gationes, quae inter coniuges contrahuntur: Hinc nunquam adfirmari poterit, prius matrimonium per posterius infirmari.

§. XIII.

Dein, cum semper Romanis regula fuit, vt eodem modo, quo contracta esset, obligatio itidem solueretur, supra iam de modis, quibus connubia soluebantur, disputauimus. Hinc confarreatione contractum matrimonium diffarreatione tantum, cöemtum vero seu mancipatione contractum remancipatione soluendum erat. Quod usurpatione vero contractum, nec elapsso anno, quo apud maritum fuerat, usurpatione sublatum, alias repudio adhibito, de quo supra. Neque vero nouo contracto matrimonio, priori non soluto legitime, diuortium factum haberi poterat. Num in posteriori contrahendo coniugio neque ritus diffarreationis, neque remancipationis inest, neque ritus, quos repudium exigebat, vt eodem modo solueretur coniugium prius, quo erat contractum adhibiti. Bigamus ergo habendus, qui priori non repudiata, secundam duxerat vxorem, quippe prius non solutum et posterius contractum.

Dein, quamuis recte monet HEINECCIVS in *Antiquit. Roman.* Adpend. ad Libr. I. §. XXXXV. frequentissima Romae fuisse diuertia et quidem ob leuissimas causas neque amplius eas causas tantum adhibitas, quas decemuirri determinauerant legibus suis, sed ob inanem adeo suspicionem; tamen alleganda erat causa aliqua, cur repudiaret. Docent exempla apud VALERIVM Maximum in Memorab. L. V. Cap. VI. At si priore

non

non repudiata, posterior ducatur vxor, nulla est causae allegatio, hinc nullum repudium prae sumendum. Et cum leges Polygamiam reprobarent, factum demum est, ut delictis adnumerata sit bigamia, vt appareat ex L. 18. C. ad L. Iul. de adult. et ex IVSTINIANI Novell. CXVII. Cap. ix.

§. XIII.

Iam ad speciem a Cicerone relatam apud Centumuiros agitatem. Vxorem quis praegnantem in prouincia reliquerat, Romaeque alteram duxerat, neque priori nuntium remiserat. Vix Cicero vxorem nominasset, nisi in manum mariti conuenisset, perinde vtrum confarreatione, an coemtione, aut visu. Erat ergo legitimum connubium, quod nuntio non remisso non solutum, sed adhuc persistebat. Non poterat itaque durante ad hoc coniugio priori, legitime aliam habere coniugem seu vxorem. Quare si de facto secundam duceret vxorem, nunquam effici poterat, vt ea, priore non repudiata, esset legitima, vt in manum mariti conueniret, vt connubium existeret, quod vnam tantum vxorem habere liceret. Nullum ergo verum existebat cum secunda coniuge matrimonium ciuibus Romanis proprium. Quapropter licet posterior confarreata sit aut coemtione vxor facta aut adeo usucpta; tamen vera vxor non erat, neque sacrorum familiaeque iurium mariti particeps facta.

§. XV.

Pergit Orator, mortuum postea intestatum esse illum ciuem, qui bigamiam celebrauerat, cui ex vitaque priori et poste-

C 2

riori

riori coniuge filius natus erat, vterque sine dubio in hereditate paterna successurus tanquam suus. Controversia orta, an ex posteriori natus posset suus haberi et simul cum filio ex priori coniugio nato admitti tanquam suus in hereditate paterna. Nemo quidem ei, qui ex priori coniugio natus est, suitatis ius negabit, quippe ex iusto matrimonio progenitus. An vero, qui ex posteriori natus suus dici possit, de eo adhuc lis esse potest. Si enim ad posteriorem coniunctionem respicimus, filio vix quidquam imputari potest, quod prius coniugium legitimo modo solutum non sit, quo posterius iure fuisse validum. Accessit ad posterius coniugium absque dubio solennitas civilis, quae eum ex iusto habito matrimonio progenitum exhibet; iudico ex verbis CICERONIS de Orat. c. l. cum quaereretur de duobus ciuitum capitibus et de puerō, qui ex posteriore natus erat, et de eius matre. Sine dubio status familiae subintelligendus videtur, de hoc enim in illo iudicio disceptabatur. At si ad ipsam causam respicimus, facile patet, ex posteriori coniugio natum puerum legitimū haberi non posse. Ii enim tantum iusti seu legitimī liberi et sui dicebantur, qui ex iusto matrimonio progeniti erant: iam illud matrimonium posterius nulla ratione iustum dici poterat, cum in iusto matrimonio binas simul habere coniuges haud liceret et prius matrimonium legitimo modo solutum haud fuerat: Ipsemēt CICERO c. l. hoc innuit verbis: certis quibusdam verbis, non nouis nuptiis, fieri cum superiori diuortium. Non ergo ex posteriori coniugio procreatus suus esse poterat, cum posterius coniugium iustum haud esset, legitimī vero liberi, qui sui erant ex iusto coniugio progeniti esse debebant. Evidēt poterat filius

filius ex secundo seu posteriori coniugio progenitus haberi legitimus, quo usque ignorabatur, patrem adhuc prioris coniugii vinculo esse nexus. Sed sicut huius putatiui matrimonii effectus tantum eousque existere poterat, quousque iusta illa ignorantia durabat, facile patet, de pulso errore et ignorantia posteriorem coniugem neque legitimam haberi posse, neque filium ex ea progenitum legitimum atque suum, cum ipsum posterius matrimonium legitimum haud posset iudicari.

§. XVI.

Ex his argumentis facile ea potest deduci quaestio, an utriusque filii ad successionem ab intestato admittendi. De eo, qui ex priori legitime contracto matrimonio progenitus erat, nihil est, quod monteamus. Hunc enim suum esse, hunc quasi a natura heredem esse ab intestato constitutum, ipsa juris autoritas affirms. At de filio ex posteriori coniugio progenito omnino alter videtur esse sentiendum. Cum nam ob vitium posterioris matrimonii nec legitimus, nec suus haberi posset, postus naturalibus esset liberis annumerandus, quod et CICERONIS *ad. verba* monstrant: *in concubinae locum duceretur; naturales vero ab intestato nunquam succederent, nisi forsitan nouo iure in sextante cum matre diuidenda, ut est in IVSTINIANI Novell. LXXXVIII. Cap. XII. quae tamen successio tunc de numeris obtinebat, si neque proles legitima, neque coniux defuncti superstes esset, et in nostra, quam ex Cicerone dedimus specie et legitima proles et vxor adesset superstes, etiam si ex nouiori*

nouiori iure res decidenda veniat, intestati successioni locus
haud fuisset.

§. XVII.

At vrgeo adhuc iustam ignorantiam filii, cui patris factum
haud imputari poterat. Fac putatium matrimonium inter
duas personas sanguinis proximitate iunctas contractum fuisse,
quod incestuolum dicendum, quae tamen vtraeque consanguinei
nitatis vinculum ignorabant. Fac procreatos esse ex illoince-
stuoso per ignorantiam contracto coniugio liberos, postea, depulsa
ignorantia, matrimonio pro nullo declarato, vulgo liberis le-
gitimorum iura haud negantur, idque ex causa, quod nec pa-
rentibus nec liberis quidquam imputari posset, qui versati fue-
rant in ignorantia facti alieni, quod ignorari poterat. Quid ve-
ro in nostra specie et posteriori coniugi, et filio ex ea progenito
imputandum? Cur his, qui innocentes sunt, iura ex legitimo
coniugio negemus? Sed nec ex hoc argumento legitimam suc-
cessionem filio tribuam. Pater enim, qui in dolo versabatur,
qui que sciebat, se adhuc vivere in coniugio, nouam coniugem
superinducturus, neque legitimam procreare poterat sobolem,
neque in procreatam sobolem sibi acquirere potestatem patri-
am. Vbi vero pater incapax erat acquirendae patriae potestatis
ibi nec iusta proles procreari, nec ex procreatione ab intestato
ius succedendi in procreatam a patre generatione transferri.
Verissimum itaque manet, ex posteriori coniugio, quod legitimi-
num haberi non poterat, cum prius solutum haud esset, nun-
quam ad intestati successionem filium posse admitti. Et quam-
quam

quam negari nequit, filium ex posteriori coniugio videri posse legitimum, cum nuptiae cum illius matre, ob eius iustam ignorantiam per externos ritus initae essent, tamen magis hic videndum est, qualis re vera est, non vero, qualis videtur. Causa in eo quaerenda, quod, ubi in alterius tendit detrimentum, ad veritatem magis respiciendum. Quod si itaque eundem putare velimus legitimum, pars hereditatis per successionem intestatam eriperetur ei, qui heres unicus est, atque ad quem tota pertinet patris hereditas. Sed haec de stricto iure Romano.

§. XVIII.

Ne tamen inutiliter haec scripta videantur, ipsam hanc speciem ad nostros mores nostraque iura efformemus atque dijudicemus. Potest et apud nos contingere, ut quis, qui in alia prouincia domiciliū habuerat atque coniugem relicta sua prouincia ad nos veniat atque fraudibus efficiat, ut, quasi caelebs adhuc esset, aliam feminam sibi desponsatam in matrimonium ducat. Eo mortuo, eadem contentio oriri potest, si forsitan ex priori coniugio liberi adsint progeniti. Eadem controuersia, an posterior coniux legitima atque ex ea procreati liberi iusti sint habendi. Satis manifesti iuris est, nostratisbus bigamiam esse prohibitam eamque adeo inter delicta capitalia relatam, Romanum quidem ius delictis demum adnumeravit bigamiam, sed praeter infamiae poenam atque stupri, atrociorum haud statuisse videtur. Patet ex Rescripto VALERIANI et GALLIENI AA. ad petitam Theodorae dato in L. 18. C. ad L. Iul. de adult.

Verba sunt: *Eum, qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione*

coniz.

comittatur infamia. In ea namque re non iuris effectus, quo ciues nostri matrimonia contrahere plura prohibentur: sed animi destinatio cogitat. Verumtamen ei, qui te fido caelibatu, cum aliam matremfamilias in prouincia reliquisset, sollicitauit ad nuptias: etiam crimen stupri a quo tu remota es, quod uxorem te esse credebas, ab accusatore legitimo soleniter inferetur. Caeterum res tuas omnes, quas ab eo interceptas matrimonii simulatione deploras, restitui tibi omni exactionis instantia impetrabis a Rectore prouinciae. Nam ea quidem, quae stihi ut sponsae daturum promisit, quomodo repetere cum effectu potes quasi sponsa? Sed determinauit magis NEMESIS Carolina Art. CXXI. hoc crimen. Verba legis haec sunt: So ein Ehemann ein ander Weib, oder ein Eheweib einen andern Mann, in Gestalt der heil. Ehe, bey Leben der ersten Ehegesellen nimmt, welche Uebelthat dann auch ein Ehebruch und größer denn dasselbe Laster ist: Und wiewohl die Kayserl. Rechte auf solche Uebelthat kein Straff an Leben setzen: So wollen wir doch, welcher solches Laster betrüglicher Weiß mit Wissen und Willen, Ursach gibt und vollbringet, daß die nicht weniger dann die Ehebrüchigen, peinlich gestrafft werden sollen. Confirmavit hanc Nemeseos dispositionem ius Saxonum Electorale in CONSTIT. XX. P. IIII. Quare si bigamia contracta, delictum vtique commissum. At quamvis haec in se vera, tamen cum delictum consistat in actu dolo commisso, recte distinguunt iura inter eum, qui bigamus dolo factus, interque eum qui ex ignorantia bigamiam commisit. Ille saltem delinquens habendus, non aequo alter coniux, qui ex ignorantia bigamus factus. Distinguunt quidem, vtrum culpa aliqua concurrat cum ignorantia, quod parum curiosus fuerat in perquirenda conditione

tione alterius partis, an vero in eius conditione perquirenda omnem impenderit diligentiam. Posteriori specie immunem a poena tunc pronunciant, si cum bigamo non concubuit, sed si concubuerat, et priori specie, vbi simul negligentiam commiserat, arbitrarie coerendum censem. Cedo vtique, eum, qui concubuit, si ante contractum matrimonium factum sit, ob anticipatum coerendum; at si post adhibitam copulam, ignorans coniugem esse digamum, immunis ab omni poena pronunciandus erit, quod et adfirmat *All. Conf. Sax.* Quae enim pars ob ignorantiam innocens, id agit, ad quod agendum, sibi ius esse autumat, quo iure eundem habebimus delinquentem, ut poenam, quamvis extraordinariam imponamus.

§. XVIII.

Quamvis vero coniux innocens sit atque a poena immunis pronuncietur; tamen nunquam adfirmari poterit, eandem veram esse coniugem, atque ex sua persona legitimum habendum coniugium. Patet ex hoc, quod ob prohibitam bigamiam, simulac experta sit, maritum esse bigamum, amplius cum eo viuere absque crimine nequeat. Concludo itaque, nunquam posteriorem coniugem vixisse in iusto matrimonio, sed statim ab eo tempore, quo contractum, nullum habendum. At hoc maxime a iuris Romani rationibus hodie diuersum erit, videlicet nullum etiam fore posterius matrimonium, quamvis repudiauerit priorem coniugem. Romanis repudia licita priuata autoritate, contra, neque si consensu inuicem vinculum matrimonii

D

monii

monii tollerent coniuges, vel maritus sese de repudianda coniuge declarat, neutro modo a priori coniugio solutus videbitur. Non enim permitunt leges, ut priuata autoritate coniugia soluantur, quae publica seu ecclesiae autoritate contracta. Cum enim diuertia hodie ex iustis tantum causis fieri debeant, cauſae vero cognoscendae prius, neque vtriusque coniugis consensum bonum in vinculi solutionem, quod tamen olim Christianis permisum fuisse appetet ex MARCVLFI form admittunt, cognitione iudicis siue sit ecclesiasticus, quod apud nos in Germania necessarium, siue secularis, cui in Gallia adhuc competere cognitionem diuortiorum adfirmat HERICOV RT *Les Loix eccl. dans leurs ordr. natur.* p. 427. diuertia tantum fiant necesse est. Quod si ergo neque diuortii causa a iudice competente cognita, neque decretum super diuortium datum, adhuc continuat matrimonium. Quare et bigamus puniendus, qui posterius matrimonium contraxit, postquam priorem coniugem, vel consentientem dimiserat, vel repudium priuata autoritate dederat. Posterius tunc contractum coniugium nullum erit, licet coniux alter innocens fuerit,

§. XX.

Cum itaque legitimū posterius coniugium non sit, imo potius ab initio nullum, sequitur, si ex posteriori coniugio proles enata sit, nunquam eandem legitimam haberi posse. Ea enim proles tantum legitima est, quae ex iusto coniugio progeñta. Neque innocentia matris, quae prius ignorauerat marit
adhuc

adhuc existens coniugium, quidquam efficere potest, ut propteræ proles iustior efficiatur. Et quo demum modo illud coniugii vinculum, licet copula sacerdotalis ad praescriptum legis adhibita, iustum dici posset, quum adhuc in coniugio maritus viuat, cui nouum matrimonium iuste contrahere non licet, nisi priori iuste soluto.

§. XXI.

At quid! Si singamus, Titium, qui in extranea prouincia adhuc superstitem habet coniugem, in alia posterius celebrare coniugium. Postea antequam Titius decedit, prior coniux moritur, ut sic definit esse bigamus; quaeritur, an posterius coniugium validum efficiatur, atque ex eo progeniti liberi vel legiti generentur, vel generati legitimantur. Si verum, quod coniugium posterius ob vitium bigamiae nullum, forsan ex canone, quod ab initio nullum, tractu temporis non conualevit, iudicari potest, morte prioris coniugis posterius nullum, validum non futurum coniugium. Praeterea sola prioris coniugis mors efficere nequit, vt bigamiae crimen commissum non sit. Sed quamvis vtraeque rationes in se verae, tamen putem, defendi posse, posterius coniugium morte prioris vxoris legitimum fieri, si posterior coniux innocens et in iusta ignorantia versetur. Est quidem verum, factum infectum fieri non posse, et bigamum illum dolosum, qui sciens, prius coniugium solutum non esse, posterius contrahit, a delicto commisso non liberari, nisi praescriptio accedat, de qua *Christ. THOMASIVS* diss. *de praescriptio-*

tione bigamiae, at morte tamen prioris coniugis non amplius erit bigamus seu posterius coniugium bigamia amplius haberi non potest. Praeterea, cum posterius matrimonium legitimis solennitatibus contractum, ea vero causa, quae effectus legitimae coniunctionis impedit, morte prioris coniugis sublata, posteriori vero coniugi aequo ac liberis ab ea procreatis nihil imputari potest, dubium non est, quin alterum coniugium ob favorem innocentis coniugis atque liberorum legitimum efficatur; cessante enim causa, quae iustitiam coniunctionis impedit, cetero necesse est effectus impedimenti, et sic iusta erit coniunctio. Neque ea Catoniana regula, quae ad ultimas voluntates excogitata, ad hanc iuris speciem applicari potest. Matrimonium vi contractum ab initio nullum, conualefecit, si vis et coactio cesseret, superueniente spontaneo concubitu.

§. XXII.

Ex his ergo facillime concludi potest, quid de successione liberorum ex posteriori coniugio progenitorum statuendum; si enim adhuc durat bigamia, mortuo patre, is, qui ex posteriori coniugio natus est, quod legitimus suusque dici non potest, immo magis ob nullitatem posterioris coniugii naturalis vel illegitimus habendus, ad intestati successionem cum eo, qui ex priori coniugio progenitus, quique legitimus, admitti nequit. At in altera specie, quam paragrapto antecedenti dedimus, aliter sentiendum. Cum enim priori sublato coniugio, posterius obcessans impedimentum iustum efficitur, iisque liberi, vel si iam nati,

nati, legitimentur, vel si postea nascantur, statim legitimi sint; recte adfirmandum, si postea pater, qui bigamus fuerat, moriat-
tur, eos qui ex posteriori coniugio procreati, cum iis, qui ex
priori geniti erant, ad intestati successionem in demortui patris
bonis admittendos. Neque opus, ut a morte prioris coniugis
tempus praescriptionis obseruetur. Praescriptio enim ad biga-
miae poenam tollendam statuta, non vero, ut posterius coniu-
gium confirmetur.

§. XXIII.

Tandem adhuc aliam speciem dabimus. Sit ipse Titius,
qui coniugium absens in extranea prouincia contraxerat, quod
omnino nullum erat ob gradus prohibitionem, quum ipse Titi-
us aequae ac coniux ignorarent, se sanguine ita esse coniunctos,
ut licitum inter eos matrimonium contrahi non possit. Post
in alia prouincia aliam superduxit coniugem Titius, cum qua
ipsi nulla est prohibiti^f matrimonii causa. Ex utroque coniugio
priori et posteriori liberi procreati. Moritur Titius atque ap-
paret, prius coniugium fuisse incestuosum et ob eam causam
nullum, quaeritur: an ex utroque coniugio progeniti liberi ad
successionem admittendi. Si Titio eiusque coniugi incestus
fuerit cognitus, liberi vere incestuosi progeniti ob legis prohi-
bitionem in NOVELL. LXXXVIII. Cap. XV. nunquam suc-
cedunt. At si fuerit putatum, cum iustum quidem putatum
sit, posterius vero iniustum omnino ex eo dici nequit, quod
prius iustum vero non fuerat, quamuis ob ignorantiam iustum

D 3

habe-

haberetur, siveque posteriori matrimonio impedimento haud esse poterat, et magis hic ad id respiciendum, quod est in veritate, quam quod in opinione, putem ex utroque coniugio liberos progenitos patri succedere. Ex priori coniugio progeniti succedunt, quod ab utroque parente ignorantie sanguinis conjunctionem procreati tanquam legitimi, ex posteriori progenitis successio neganda non erit, quod ob incestuosam conjunctionem posterius iniustum dici non poterat.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
RESPONDENTI

S. D. P.

P R A E S E S.

 *Cum in eo esses, VIR DOCTISSIME, ut diligentiae TVAE
atque studiorum, quorum et ego testis fui, qui meas
scholas frequentasti, publice rationes redderes, obtulisti mibi libellum
abs TE bene et doce conscriptum. Legi, neque, quod mutarem, babu.
Eo libentius vero Moderatoris ac Praefidis officium suscepit, quo certius
sperabam, fore, ut TVAS, quas exhibuisti observationes, non minorè
elegantia atque doctrina sis defensurus. Gratuler itaque ex pia mente
elegantiam doctrinae, ingenii acumen, iudicior excellentiam. Praecor
praeterea diuinum Numen, velit TVA beare studia dignisque TVA di-
lignantia atque doctrina praemii ornare atque cumulare. Sicuti vero
non dubito, quin pia mea vota pondus sint habitura, ita TE rogo, ut
me perpetuo ames, qui TE amare nunquam desinam. Vale. Scrip-
tam Lipsiae d. vii. August. 1010 GLXXVI.*

OMNIBUS INGENUIS
ET MUSICOGRAPHIS

Leipzig, Diss., 1776 A-G



aus 34 Steck bisher verkehrt

V
D
18

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches
Centimetres

Farbkarte #13



DISSE⁰⁴⁸TATIO IVRIS CIVILIS

DE

MATRIMONIO

CVM

SECVNDA CONIVGE CONTRACTO
PRIORE NON REPVDIATA

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAE^{1776, 10.}SIDE

CHRISTIANO HENRICO BREVNING

I. V. D. PROF. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT. ET SOCIETAT.

LITERAR. DVISEBVRG. SOCIO.

IN AVDITORIO IVRIDICO

A. D. VII. AVGUST. A. R. S. CICIOCCCLXXVI.

DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES GABRIEL BERNARDVS BVSCHEL

LIPSIENSIS

LIPSIAE

EX OFFICINA BVSCHELIA.